

Quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Ut enim, si grammaticum se professus quispiam, barbare loquatur; aut si absurde canat is, qui se haberi velit musicum, hoc turpior sit, quod in eo ipso peccet, cuius profiteatur scientiam: sic philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, delinquit in vita.

A. Nonne verendum est igitur, si est ita, ut dicas, ne philosophiam falsa gloria exornes? quod est enim majus argumentum, nihil eam prodesse, quam quosdam perfectos philosophos turpiter vivere? M. Nullum vero id quidem argumentum est. Nam ut agri non omnes frugiferi sunt, qui coluntur, falsumque illud Accii:

Probæ etsi in segetem sunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipsæ suapte natura entent:

sic animi non omnes culti fructum ferunt. Atque, ut in eodem simili verser, ut ager, quamvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest: sic sine doctrina animus. Ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est: hæc extrahit vitia radicibus, et præparat animos ad satus accipiendo, eaque mandat his, et, ut ita dicam, serit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.

Tusc. III., 1, 2, 3. Quidnam esse—causæ putem, cur, quum constemus ex animo et corpore, corporis curandi tuendique causa quæsita sit ars, ejusque utilitas deorum immortalium inventioni consecrata: animi autem medicina, nec tam desiderata sit, antequam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et invisa? An quod corporis gravitatem et dolorem animo judicamus, animi morbum corpore non sentimus? Ita fit, ut animus de se ipse tum judicet, quum id ipsum, quo judicatur, ægrotet. Quod si tales nos natura genuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce cursum vitæ